

tem Sole iam sub horizōtem demerso, ac stellis lucere occipien-
 tibus, figurationem cœli per locum Lunæ prius inuentum ex-
 prime, quemadmodum in tertio Problemate expositum est,
 quantumq; arcum de ambitu Aequinoctiali, locus Solis in
 interuallo duarum considerationum emensus sit, perpende, ut
 tempus medium agnoscere queas, pro singulis gradibus qua-
 ternas unius horę minutias accipiēdo, & rursus pro unaquaq;
 hora æquali dimidium fermè gradum, & pro minutis superflu-
 is, si quæ fuerint, proportionalem particulam loco Lunę, per ob-
 seruationem primam elicitō, superadde, ut locus Lunę ad horã
 secundę considerationis propemodum habeatur. Cui regulam
 longitudinis superpone, & figurationem cœli, quemadmodum
 antea monuimus, exprime, fixaq; regione signorum transfer-
 cristam hac atq; illac, donec stella ē directo circuli latitudinis, &
 simul per utrunq; foramen regulæ suæ cernatur. Tunc enim su-
 um utraq; regula officium, quoad fieri potest, faciet; nam ad ue-
 ritatem intimam hac uia perueniendi non datur facultas, cum
 fundamentum rei fluxum sit & fragile, neq; enim in prima con-
 sideratione uerus Lunæ locus depræhenditur, diuersitate aspe-
 ctus id prohibente; neq; in secunda, cum propter diuersitatem
 aspectus, tum etiam propter inæqualitatem motus lunaris, qui
 in hora æquali nunc citra, nūc ultra dimidiū gradū extenditur.

PROBLEMA SEXTVM.

Eleuationem Solis aut alterius stellæ cuiuscunq;
 supra horizontem depræhendere.

Siste instrumentum, uti superius expositum est, positaq; re-
 gula longitudinis ad locū Solis in signifero ecliptico, ac ibi-
 dem, ne aliquorsum labatur custodita, uerte regionem signorū
 hac atq; illac, donec radius solaris foramini auriculæ anterioris
 incidens, ad foramen usq; posterioris auriculæ, penetret. Mox
 enim filum perpendiculi semicirculo pensili cohærens, gradus
 eleuatio